



Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis
Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev
De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

III. Illum usum apud Hispanos ex Gallia propagatum fuiße vero simile est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

C A P V T X.

Synopsis.

I. In Hispaniis quoque Regis assensus adhibebatur in electionibus Episcoporum jam inde à temporibus Recaredi Regis. Duorum aut trium designatione fitbat, ex constitutio Concilij Barcinonensis in Hispania Tarraconense. Quod petitum ex suspicacibus genitum illius animis.

II. Synodus Toletana quarta canonicum electionum ordinem distinxerunt. Sed non exclusit aperi- tè interventionem regiam. Quod probatur variis argumen- tis ex illa antiquitate.

III. Illum usum apud Hispanos ex Gallia propagatum fuisse vero simile est.

IV. Reges Hispani indulgentiam Concilij vertere- runt in merum imperium, & plenum jus electionum statim ad se traxerunt. Probatur ex canone sexto Con- cili duodecimi Toletani, qui explicatur.

V. Garsias Loaifa notatus, qui sensum istius ca- nonis in diversum trahit. Hallucinacionis bujus viri origo indicatur.

ADDITIO.] Duodecimo seculo illud sanctum invenerat in Hispania citeriori ut electio Episcopi celebri non posset absque consilio & assensu Regis. Sed id quoque sibi Petrus primus Rex Aragonum. fuf- fit tamen ut postquam electio facta fuerit, electus Regi praesentetur in signum regie fidelitatis. Quod ab Innocentio tertio confirmatum est.

I. **A**NT EQUAM ad ulteriora progre- diamur, non alienum erit ab instituto de consuetudine qua invaluerat in Hispaniis post receptam à Recaredo Rege catholicam fidem paucis differere. Eam nobis insinuat canon tertius Concilij habitu anno Recaredi x i v. & Christi D X C I X. ab Episcopis Tarraconensis provincia, in urbe Bar- cinonensi, in Ecclesia sancte Crucis: que quidem ab usu Regum nostrorum non abhorrebat. Permittebatur scilicet, juxta ca- nones, electio libera clero & plebi, & judi- cium integrum Metropolitano & coepiscopo- pis. Attamen regius quoque assensus inter- cedebat, qui designatur in canone illo per sacra regalia, id est, sacras literas regias, qua- rum rationem haberi prohibet si laicos, omis- so tempore à canonibus præstituto, ad episcopatum statim provehi mandent; etiam si consensu cleri ac plebis & Pontificum electio assensuque acceperit. Quod in eo canone sub- jungitur de duorum aut trium designatione, quos consensus cleri & plebis elegerit, non est petitum ex lege Iustiniani, qua Hispani non tenebantur, sed ex prudentia Episcoporum ingenio provincialium accommodata, qua trium eligendorum formam desiderabat. Ex Leonis primi præscripto à Metropolitano is aliis præferendus erat qui majoribus juva-

retur meritis & studiis. Sed huic Concilio placuit ut negotium fortis committeretur, quod tantum ad provinciam Tarraconensem pertinet. Ita tamen ut duabus aut tribus, quos aut consensu cleri & plebis elegerit, Me- tropolitani judicio ejusque coepiscopis presentatis, quem sors, precunie Episcoporum jejuno, Chri- sto Domino terminante monstraverit, benedictio consecrationis acumulet. Ea est provincia illius indoles, etiammum hodie, ut suspecta habeant hominum judicia; ideoque magistratum municipalium electiones non ordinis aut plebis judicio, sed sorti committe- re solent. Quod institutum quoque fuit ad tollendas, que ex repulsa oriri solebant, graves inimicitias apud homines injuriarum impatientes.

II. Cererum synodus Toletana quarta à Sisenando Rege ex omnibus Hispaniarum provinciis congregata anno D C X X X I I I. di- ferts verbis canonicum ordinem in Episco- porum electionibus restituit can. xix. Sed nec ille deinceps sacerdos erit quem nec cleris nec populus proprie civitatis elegerit, vel au- toritas Metropolitani vel comprovincialium Sa- cerdotum assensio exquisivit. Quibus verbis non excluditur aperte regiae voluntatis inter- ventio; per quam præficiabantur sedibus episcopalibus illi quos auctoritate sua Rex foveret, ut patet ex Braulionis Cæsaraug- stani epistola ad Isidorum Hispalensem, qua eum rogat ut suggerat Regi quatenus me- tropolitanæ Tarraconensi Ecclesiæ illum præficiari cuius doctrina sanctitas ceteris sit vite forma. Isidorus responderet, Regi manere incertum ubi certius convertat animum. Que te- stimonia citat Loaifa in Notis ad Conci- lum Toletanum duodecimum. Quibus addi potest illustris locus Iuliani Toletani in expeditione Vvambæ Regis. Loquens enim de Ranimiro contra jus in episcopatum Ne- mausensem evecto ait: *In causa electione nullus ordo attenditur, nulla Principis vel Metro- politani definitio prestolatur.*

III. Illum usum apud Hispanos ex Gal- lia propagatum credere par est. Quippe cum Hispanicæ Ecclesiæ illa tempestate uteren- tur codice canonum qui, præter veteres, continebat etiam Gallicanos, (ut patet ex antiqua collectione quam propediem in lu- cem datur sumus cum aliis veteribus col- lectionibus tum Græcis tum Latinis) faci- les fuerunt Hispani in admittendo assensu regio, qui decretus erat in Concilio Aure- lianensi.

IV. Sed statim Concilij indulgentiam verterunt in merum imperium, & ad se jus electionum plenum Reges Hispaniarum tra- xerunt. Quod discimus ex canone sexto